

## PROLOQVIUM

AD LECTOREM,

In quo de eruditione primū universē, deinde de historiæ cognitione, pōst de chronologiā, & de mūm de instituto meo in hoc opere breviter disseritur.

**D**EVS postquam omne genus animantium vitā, motu, sensu præditorum creasset sexu geminum, specieb. multiplex, hominem quoque condidit, omnib. reliquis animalib. totā specie superiore & præstantiorem, velut complementum operum suorum; ad imaginem quippe sui formatum, mente & mentis interprete sermone instrūtum, voluntate liberum, dominum reliquorum animantium, in quo summa sapientia cum summā justitiā congruebat, sexu quoque duplicem ad propagandam per generationem, multiplicandamque speciem eandem, quæ orbem terrarum incoleret in gloriam creatoris omnium. Sed homo priusquam generaret, libertate voluntatis abusus, seductus à Satana inimico, violato DEI creatoris mandato, imaginem illam divinam in se statim ab initio turpissime fædavit, & destruxit corruptaque: occupavitque formam ejus, quâ homo erat, caligo mentis & atraq[ua] horribilis omnium virium aut facultatum, quas creator pulcherrimè ordinatas ei indiderat, atque ita ipse ex summâ felicitate in summam miseriam sese culpâ suâ præcipitavit. Qualis verò tum factus est ipse, talem solem generavit, id est, universum mortalium genus ex se ortum corruptum propagavit. In ea autem corruptione naturæ hominis reliqua mansit forma ejus specifica quamvis fædè turpata, mens scilicet cum interprete suo, et menti subiuncta voluntas. Est verò universum hoc humanum genus ab una stirpe propagatum, cuius una est communis natura, unaq[ue] forma, in varias gentes distinctum, variisq[ue] institutis utens. Et sunt in eo varia ac diver-

PROLOG.

De hominum discrimina. Quippe alii cum imperio sunt, et hi dignitatum ac potestatum gradibus plurimum inter se differentes: alii imperiis parent. Rursum alii sanguine nobili sibi placent, ac toto penè genere à plebeis se sejunctos esse, & præpollere opinantur, alii in plebejo ordine consistunt: alii sacris operantur, alii civilia & profana tractant: quidam militiæ dant operam, equites, pedites, & horum ministri calones ac lixæ, quidam pacis negotia sequuntur, quos paganos vetustas appellabat, multâ varieta- te distincti, et alii aliis, ut ipsi existimant, et vulgus judicat, honoratores. Horum scilicet alii rus colunt, & opera exercent rustica: quod genus Romani quondam, & vetustissimi Hebræorum, et aliarum gentium censebant præstantius: plurimi urbes & oppida habitant, morib. elegantiores, & callidiores. In quib. mercatores, cervisiæ aut zythi codores, oenopolæ, caupones, pharmacopæi, auri, argenti, æteris, ferri, stanni, ligni, cæmentorum fabri, pictores, vitrarii, molitores, pistores, laniones, textores, sartores, futores, pelli- ones, pilearii, tonsores, librarij, navitæ, aurigæ: & quis genera hæc omnia, aut omnes ordines commemoret? Evidentissima verò discrimina habere videntur illustres, ob- scuri, ἀρχοντες, ἀρχέτευοι, nobilitas, plebeij, urbani, rustici, divites, egeni. Verum si rectâ ratione rem putas, & justâ lance expendas, nullum majus inter homines discrimin invenies, quam est inter literatos, & illiteratos, id est, eruditos & ineruditos. Hæc enim differentia ad ipsam illam hominis formam, quæ altera pars, & quidem nobilior pars essentiæ ejus est, per quam proprie homo est id, quod est, ac a cæteris ejusdem generis speciebus discernitur, quam proximè pertinet. Mens quippe rationalis forma illa est, quam νοῦν Græci vocant, cuius actus proprius & præcipuus est νοῆν, intelligere, nosse, scire; quæ si ab ea abstuleris, vitam ejus & ἐπιλέξεαν verè sustuleris. Cognitionis verò penum sine dubio uberrimè instruit & auget eruditio vera, quæ ex bonarum literarum studiis existit: per quam fit, ut in infinitum ferè differat eruditæ cognitione à cognitione ineruditæ

A D L E C T.

inerudit̄ non solum copiā, sed etiam certitudine, ac pr̄f-  
tantia. Quin et mens ipsa, quæ studia hæc literaria trac-  
tat, et in iis se exercet, ipsa illâ tractatione et exercitio poli-  
tur, & nitescit, æruginemq; ac squallorem & hebetudinem,  
quæ velut obducitur ex insito naturæ vitio, deponit, ut &  
celerius et certius rāvont̄ apprehendat ac capiat. Quæ cūm  
dico, non nego excellentia quædam ingenia naturam produ-  
cere, quæ nisi voluptatum illecebris, aut studiis aliis inanib.  
implicentur, adhbita animi contentionē etiam sine literis  
ad eximiam prudentiam & magnarum rerum scientiam  
possint pervenire, et multos in literis diu versatos antecur-  
rere: sed ingenia fælicia cum fælicib. comparo, mediocria  
cum mediocribus, tarda cum tardis: atq; ita omnino existi-  
mo, eruditionem magnam, quæ verè id nomen mereatur, non  
posse, nisi in felici ingenio, cui ex auro aut argento, ut cum  
Platone loquar, plurimum insit, existere. Et in hac consi-  
deratione principem principi, præfectum præfecto, consule  
consuli, senatorem senatori, judicem judici, similes deniq; si-  
milib. in quocunq; vitæ genere, cui prudētiā sit opus, oppono,  
et quantū eruditus inerudit̄ si parib. sint ingeniis, præstet,  
lectori non absurdo expendendum permitto. Nulla verò est  
ex omnib. disciplinis, quæ ad eruditionē pertinet, cuius usus  
latius pateat, et fructus uberior sit ad vitam in societate ci-  
vili benè prudenterq; agendam, sive imperandum tibi sit, sive  
parēdum, sive publicæ aut privatæ rei consulendum, quam  
cognitio historiarum. In iis enim velut in speculo videnda  
proponuntur, quæ in scena hujus mundi aguntur, argumentis  
ferè recurrentib. iis dē. Eadē quippe hominū natura, iidem  
affectus, eadem desideria; unde eadem quoq; referuntur con-  
silia, et ex iisdem consiliis ijdem recurrent eventus. Ho-  
mines tantum singuli mutantur, & variant circumstantiæ  
locorū ac temporum. Itaq; historiarum notitiā imbutus, in-  
tuens in exempla similia priorū temporum, aut regionū alia-  
rū, si animo solerti sit, prudentius consulere in mediū, et de-  
clinare casus adversos, quam anteactorū ignarus potest. Ad  
cujus scientiæ studium cum Oratorem suum extimulare M.

PROLOG.

Tullius vellet, scitissime dixit: Nescire, quid antequam  
natus sis, acciderit, id est semper esse puerum. Adjectum  
ibidem: Quid enim est ætas hominis, nisi memoria rerum  
veterum cum superiorum ætate contexitur. Commemoratio  
autem antiquitatis, exemplorumq; prolatione summâ cum de-  
lectatione & autoritatem orationi affert, & fidem. Po-  
lybius autem volens idem studium viris remp. gerentibus  
commendare statim in operis sui initio scripsit operam in  
discendâ historiâ ponere, id verè esse instituere et exercere  
animum ad ea, quæ in rep. sunt agenda: nec dubitavit histo-  
riam appellare efficacissimam, imò verò unicam ac solam  
magistram sine offensione aut detrimento docentem, quid  
in quâq; re, quovis loco et tempore facta sit opus, ac quomodo  
utrâque fortunâ conveniat uti: eandemq; esse doctrinam  
non solum in omni vitâ utilissimam, sed etiam jucundissi-  
mam, ipsâ novitate ac varietate casuum allicientem homi-  
nes ad studium sui, velut dulcedine quâdam animos eorum  
perfudentem. Omnia sanè verissime à sapientissimo, &  
humanarum rerum peritissimo viro dicta. Etenim licet vi-  
dere, cum dñpia aliquod Comicum, aut Tragicum in scena ab  
histrionib; est repræsentandum, quanto studio ferantur ho-  
mines, & concurrant ad spetandum & audiendum, quam  
magna multitudine omnis generis, sexus, ætatis theatra  
compleantur, præsertim si cognoscatur Roscios in scena esse:  
Historia autem studiosos sui velut in amplissimū theatrum  
deducit, et omnium quasi temporum et omnium locorū acta  
memorabilia, bona mala, secunda adversa, prudentia stulta,  
ponit ob oculos: universi scilicet mundi, totiusq; humani ge-  
neris dñpia exhibet: aliorū deliriis et casib; contemplatores  
sine ipsorum periculo ac incômodo facit sapientiores. Atq;  
in hac contemplatione tanta occurrit rerum casuumq; delec-  
tabilis varietas, tanta inest utilitas, tanta cognitionis existit  
dignitas ac præstantia, ut nihil eā dulcius, nihil fructuosius,  
nihil liberali ac ingenuo ingenio magis aptum & congru-  
um reperiri queat. Adde, quod nulla ex omnib; disciplinis,  
quæ ex libris percipiuntur, minus sit abstrusa, minus arguta,  
minus

A D L E G T.

minus subtilis, magis facilis, plana, obvia, expedita: ut à mediocri ingenio sine multis literis, modò operam & tempus aliquod istuc conferre, & bono ordine uti velit, possit sine tædio parari. Quæ causa est, cur vir magnus & judiciosus parentum nostrorum memoriâ affirmaverit, præteritarum rerum ignorationem in homine literis vel mediocriter imbuto vix ullam habere honestam excusationem: Non enim aliundè eam esse, quam ex supinâ negligētiâ, aut ex occupatiōne supervacaneâ, aut ex inani non laudatarum voluptatum, inutiliumve oblectationum studio. Quin imò hoc idem ad eos quoq; transferri, recteq; dici potest, qui ad obeundas alias reipub. partes vocati sunt, ac opibus mediocribus valent, etiam si magnum literarum elegantiorum usum non habeant, & vix quicquam supra sermonem patrium intelligent. Nam nihil ferè historicum est notitiâ dignum, quod ve ad generalem rerum præteritarum cognitionem pertinet, quod non ex lingua Hebræâ, Græcâ, Latinâ in linguis populares, quibus vulgus in singulis regionibus utitur, sit traductum. Loquor de historia generali, quam quis non magno, nec longo labore, & sine magna temporis jacturâ potest cognoscere: cuius qui prorsum ignarus est, nœ ille magno præsidio ad tractanda consilia et negotia publica defituitur, quantumvis sibi egregiè sapere, & præclarè ad ea instructus esse videatur: quantumvis inquam mirifice placeat sibi, & ut pueris solent, in inscitia sua sibimet plaudat. Ad pueros enim eum M. Tullius, ut antè ostendi, relegat, qui actorum ante se natum ignorantia laborat: & is, quem antè virum magnum & judiciosum designavi, vix hominis nomine dignum judicat in societatis scil. humanæ luce versantis, qui memoriam & cogitatione ultra ætatem suam non progreditur. Ad solidā verò historiæ universæ cognitionē nihil æquè facit, ac temporum quib. quæq; acta sunt, certa & clara digestio, ex quorum connexione & successione rerum quoq; gestarū connexio et successio dependent. In tēporib. autem rectè digerendis, & connectendis multi veteres multam ac non inutilem operā posuere, ac benè de historia et de

PROLOQ.

societate humana meruere, plures etiam medii, & plurimi  
hujus ævi viri eruditæ, glacie hanc egregie frāgentes. Quo-  
rum exemplum ego secutus ante aliquot annos, ut aliquid lu-  
cis rei pulcherrimæ, sed contentionibus dissidentientium va-  
riè vexatæ, & caligine aliquâ propè obductæ pro virium  
mearum modulo assunderem, & historiæ, ejusque studiosis  
prodeßem, studii nonnihil istuc quoq; cæpi vertere, formâque  
novâ, quæ mihi maximè commoda ad illustrandam rem, &  
demendam caliginem, firmandamq; certitudinē, & seriem  
ac connexionem temporum ob oculos ponendam videba-  
tur, canonem chronicum concinnare. Eum volui non sti-  
patum esse aut confertum multitudine ac frequentiâ even-  
tuum, sed consertum tantummodo sæculorum omnium rebus  
præcipuis, imprimis autem primorum patrum in historia  
sacra, ante & post diluvium universale, deinde regnum  
& regum celebrium, aliorumque summorum imperiorum,  
ac imperatorum initiis & finibus: item insignib. rerum-  
publ. & sacrarum mutationibus. Volui hoc propterea, ne  
paganis scripturâ oppletis temporum fluentium series &  
connexio, quam potissimum oculis subjecere consilium mi-  
hi, obscuraretur. Et ut major esset diluciditas, placuit  
typographum diversis characteribus in excudendo canone  
uti. Sacra quoque à profanis, quantum fieri potuit, dis-  
tinxi: & potiorem rationem sacrorum quâm profanorum  
habui: ideoq; locum vel columnam iis priorem à sinistra, his  
posteriorem versus dextram tribui. Singulas enim pagi-  
nas in duas columnas à diluvio ad scissionem regni He-  
breorum, quod intervallum complectitur annos quasi mille  
trecentos duodecim, divisi: sequentes in tres: ex quib. duas  
priores similiter sacris tantum deputavi ad finem regni x  
tribuum, captamque Samariam. A quo tempore duæ poste-  
riores res reliquarum gentium habent, prima ad sinistram  
reb. Iudaicis relinquitur usque ad Cyrum Persam Medo-  
rum regno potitum, quando cœpit desinere continuatio histo-  
riæ sacræ veteris testamenti. Profana autem sacris ad la-  
tus apposui, & seriem seriei conserui aptavimus, uti inspectio  
ac

### AD LECT.

ac lectio docebit. In universo vero canone chronicō id perpetuō servo, ut singulæ paginæ exceptis tantum iis, quæ tēpus à mundi initio ad diluvium repræsentant, quæ duplæ sunt ad reliquias, annos omnino xx teneant, non plures aut pauciores. Æras, annosq; usurpavi varios: de quib. & similibus dixi prolixius in admonitione ad lectorem, quæ canonii pleniori præfixa est pag. 73. Canoni autem pleniori præmisi duos compendiosos, quorum prior brevissimus tempus totius mundi explicat, ac ob oculos ponit paginis sex, singulis repræsentantib. annos mille: alter idem tempus digerit per paginas quinquaginta sex, ita ut quælibet pagina exhibeat annos centum. Quà de re monui lectorem paginā secundā, id est, primo folio verso.

Verum ipsi canoni Chronicō illustrando addidi, & ei præmisi commentarium distinctum in libros quinque. Eorum primus temporis partes horas, dies, menses, annos, & eorum varietatem explicat, annorum periodos, & characteres exponit. Alter disserit breviter de serie temporum in historia primum sacra, deinde in profana, & dissentientes ab exposita sententia confutat. Tertius de recte connectendis tribus æris maximè celeribus apud scriptores gentiles, Olympiadā, Romā, Nabonassareā disputat, & rationem recte conferendi historiam sacram & profanā commonstrat. Quartus quæstiones aliquot chronologicas explanat. Quintus demum in partes tributus duas tempora nobiliorū gentium et civitatum separatim cōpendio recitat.

Tedium omne, quod in hoc labore molesto magis quam jucūdo sustinendum mibi fuit, eo alacrius devoravi, benigne lector, quod id, cui studium impendebam, gratum aliquando bonis mentibus, & præjudicio pravo non abruptis esse futurum, atq; aliquem etiam hinc illustratā & adjutā nobilissimā utilissimāq; disciplinā, ad ipsam remp. fructum redditurū sperarem. Quam spem meam ut ratam esse velit,  
DEVM OPT. MAX. unicum boni omnis fontem, sine cuius gratiā omnis conatus noster est frustraneus, ex animo precor. Tu lector, si lubet, his utere, fruere, & tuo nos favore prosequere. Vale.

ADIEG

Errare humanum est: in errore autem demonstrato perseverare, quamcunque etiam ob causam id fiat, homine bono prorsus est indignum.

**Amicus Socrates, amicus Plato,  
magis amica V E R I T A S.**